





1722, 23

189.

48

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

**PROBATIONE**  
**QUATENUS PER EXAMEN**  
**TESTIUM IN PERPETUAM REI MEMORIAM**  
**FIERI POTEST,**

*QVAM*  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,  
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,  
DOMINO

**JO. JOACHIMO HAHN,**  
*EPISCOPO METELLOPOLITANO,*

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curie Pro-Vicario Generali, SS. Theologie & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntia respectively Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

*AMPLISSIMO ANNUENTE JCTORUM ORDINE*  
IN ALMA ET PERANTIQUA HIERANA  
SUB PRÆSIDIO

**DN. JOANNIS PHILIPPI** *Streits/*  
*JCti,*

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARI  
REGIMINIS, ET FACULTATIS JURIDICÆ DECANI,

AD SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA,  
MORE MAJORUM, CONSEQVENDOS,

*DIE X. JUNII ANNO MDCCLXXII.*  
LOCO AC TEMPORE CONSVETO,  
ERUDITÆ DISQVISIONI SUBMITTIT

AUTOR  
**PHILIPPUS JACOB. DIEFFENBACH,**

Kehmelia Hassus, & Advocatus Ordin. Dicafterii Rotenbergensis.

*ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.*



**VIRIS**

*Prænobilissimis, Consultissimis, maxime strenuis  
& Amplissimis,*

DOMINO

**JOH. HENRICO LOMBARDIO,**

J. V. Licent.

Serenissimorum Principum Hasso Rheinfelsensium Directori  
Cancellariæ & Cameræ Rotenbergensis  
splendidissimo.

DOMINO

**JOHANNI CHRISTOPHORO  
KALCKHOFF, J. V. L.**

Serenissimorum Principum Hasso-Rheinfelsensium Consiliario  
tam Cancellariæ quam Cameræ ejusdem  
splendidissimo.

*Itemque*

DOMINO

**JOH. PHILIPPO STÜKRADT,**


J. V. Licent.

Serenissimorum Principum Hasso-Rheinfelsensium Consiliario  
Cancellariæ & Cameræ ejusdem æque splendidissimo, ac  
Præfecto primario Rotenbergensis Præfecturæ,  
*Fautoribus atque Patronis colendis,*

Hanc Inauguralem Dissertationem

D. D. D.

AUTHOR.



## S. I.



**D**issertatio mea inauguralis cum sit concepta de Probatione, quatenus per examen testium in perpetuam rei memoriam fieri potest, actum non egero, si de probatione pauca præmiserò, quippe inanes redduntur actiones, nisi indubitata Probationis fide apud Judicem competentem de iis constet, quod non probata habeantur, quasi non essent, non tam deficiente jure, quam non patente *L. 30. ff. de Testament. Tut.* hinc quanti momenti sit probationum materia, quis nisi obcæcatus perspicit *per Mynsing. de prob. p. 2. Cap. 1.*

## S. II.

Quippe probatio est actus judicialis & solennis, quo per argumenta idonea de re controversa judici fit fides. *Struv. Syntag. J. C. Exercit. 28. th. 2. item in Jurisprud. Rom. Germ. for. libr. 4. Tit. 9. th. 2.* Jctis enim

probare nihil est aliud, quam in specie judici fidem facere, litis ab eo definiendæ causa. *per l. 12. in fin. ff. de Probat.* Quo sensu probatio rursus vel late qualemcunque modum complectitur, qua judici ad effectum ferendæ sententiæ rei controversæ veritas ostendi potest, quorum duodecim modos recenset *Job. Mascard. Vol. 1. de probat. quest. 4. & seqq.* vel *Struve &* secundum excellentiam ad eos saltem probandi modos determinata est, qui testibus & instrumentis expediuntur, quæ legitima in specie probatio dici potest. Hinc *Carpzov.* juramentum legitimam probationem non esse arguit, *in proc. tit. 10. art. 1. n. 120.*

§. III.

De qua strictè sic dicta probatione hujus loci agam & missa artificiali probatione, quæ ingenio & industria probantis, ex causis, effectibus, variisque circumstantiis deducitur, secundum *Struv. in jurispr. Rom. Germ. forens. Libr. 4. tit. 9. th. 3.* ad inartificialem descendam, quæ ad fidem faciendam extrinsecus assumitur, per verba *Struv. Syntag. J. C. Exercit. 28. th. 4. Wesenb. ad Tit. de Prob. & pres. n. 4.*

§. IV.

Fit autem Probatio artificialis (a) instrumento quod est scriptum rei fidem faciens, *arg. l. i. ff. de fide instrum.* & alias probatio vocis mortuæ vocatur à *Wesenb. alleg. loco n. 4.* Estque duplex, publicum & privatum, unde *in l. 1. C. de jurejur. propt. calum.* instrumenta literis seu privatæ scripturæ opponuntur, vid. *Rittersh. Expos. Novell. part. 9. cap. 24. n. 4.*

§. V.

191.

§. V.

Publicum instrumentum est scriptura à persona publica ad rerum gestarum fidem confecta, vel comprobata. Germanis: Eine Schriftliche Urfunde, Document oder Schrift, dadurch die Handlung oder Willen der Menschen, damit sie nicht in Vergessenheit gesetzt, in ewiger Gedächtniß behalten und befestiget werden. Arg. Constit. Maxim. I. Von Notarien zu Cölln de anno 1512. in princip. vers. Aber nachdem ic.

§. VI.

Differentia ejus consistit in autoritate publica, quam habet à publica persona tam judicis seu magistratus, tam inferioris quam superioris C. 7. X. de Probat. Emer. à Rosbach. Process. judic. tit. 8. n. 2. seq. sive ipse scripserit, sive ipsius jussu Actuarius.

§. VII.

Tale enim instrumentum plenissimam in jure meretur fidem. Struv. in jurispr. Rom. Germ. for. libr. 4. tit. 9. th. 8. Unde, qui ex publico agit, recognitionem petere necesse non habet, secus in privato, quod quidem contra producentem non tamen pro eodem ante factam recognitionem probat.

§. VIII.

Speciale quid est de jure Saxonico, ubi publica quoque instrumenta ad recognitionem offerenda sunt Carpz. de Process. Tit. 14. art. 2. n. 48. quamvis, cum hic juratae diffessioni locus non concedatur, juxta eundem tit. 14. art. 3. n. 48. eandem superfluum & abundantem non immerito dixeris, vid. illustr. Stryk. introd. ad Prax. for. cap. 19. §. 7. in fin.



Publicum in concursu creditorum hypothecæ jus prælationis tribuit præ omnibus hypothecis privatis, quamvis hæ tempore sint priores. Nec in materia testamentorum ullas requirit solennitates, bene tamen privatum requiritur, interdum præcise publicum ubi privatum non sufficit. v. g. Si mulier intercedit pro alio, hoc enim, si in privato fieret instrumento, mulier exceptione S<sup>C</sup>ri Vellejani opus non haberet, sed ipso jure tuta esset. *L. 33. §. 6. C. ad S<sup>C</sup>tum Vellejan.* Item in Saxonia in alienatione & oppignoratione immobilium, & alibi etiam in alienatione prædiorum rusticorum, vid. *Jac. Fried. Ludov. us. pract. dist. jurid. part. II. tit. de fide instrum.*

## §. X.

Ex quibus fluit instrumentum publicum esse probationem probatam, non probandam, ut ita loquar cum *Carpzov. defin. for. p. 2. Const. 43. def. 7. n. 3.* Quod ita tamen intelligendum, si inter privatos allegetur. Documenta namque publica, v. g. Libri censuales *Saalbücher*, pro magistratu contra subditos in puncto forte servitiorum plene non probant, ne in propria causa testis sit magistratus, nisi solenniter coram Notario & Testibus sint conscripti. vid. *Carpz. libr. 1. Resp. Elect. 61. & seqq. Berlich. part. 2. decis. 282. seq.*

## §. XI.

Ubi tamen incidenter de Notarii instrumento notandum, id ob defectum aliquem accidentalem, qui est, e. g. non appositum signetum, totum non vitari, sed semiplenam probandi vim (non impediende causæ



causæ circumstantia quadam) retinere, ut partim producenti juramentum suppletorium deferri possit, prout pluribus id deducit *Dn. Richter decis. 32. n. 26. seqq.* Ubi tamen limitatur, nisi Notarius originale quoque conscripserit, & copia illa contineat tenorem, ac originale Notarii sigillo munitum esset. *Mollenb. in not. ad Lauterb. in tit. de fid. instrum. n. 50.*

## §. XII.

Privatum instrumentum est, quod fit autoritate privata. *Wesemb. in parat. de fide instrument. n. 2.* Vel quod absque solemnitate in causâ propria seu de gesto proprio à propria persona privata conficitur *L. 5. §. 6. C. de probat. Struv. syntag. J. C. Exercit. 28. th. 22. Lauterb. Compend. tit. de fid. instrum.* Ubi rationes excipit, quæ ut ille ait: requirunt diem & subscriptionem. Cui adstipulatur *Stryck. in Comm. ad Lauterb. sub verbo diem, ubi sequentia ipsius verba: alia ergo instrumenta, si datum sive diem non habent adjectum, ex eo solo non vitiantur, item de subscriptione verba ipsius hæc sunt: si contrahentes scribere nequeant, Notarii pro ipsis scribere solent. Notante alleg. Mollenb.*

## §. XIII.

Cujus privati instrumenti tres sunt species, quas recenset *Nicolaus de Passeribus tractatu de privata scriptura libr. 1. quest. 2.* (1) Chirographum, sub quo & syngrapham & apocham comprehendit. (2) Librum rationum de quo supra §. 12. dixi. (3) Epistolam, eademque insequentibus prolixè examinat.

## §. XIV.

In universum vero notandum de instrumento  
 priva-

privato: Quanto minor autoritas privata publicâ, tanto minorem quoque effectum in probando fortitur, ita tamen ut contra ipsum scribentem plenissimè probet, etsi saltem subscripsit aut subsignavit. *Struv. Syntag. J. C. Exerc. 28. th. 24.* modo si obligatoria est, & de causa debendi ex ea constat. *l. 26. §. ult. ff. de pos. l. 13. C. de non num. pec. non vero pro ipso. l. 6. C. de probat. l. 26. ff. de pos.*

§. XV.

Cæterum ut instrumenta hæc fidem faciant, necesse est, ut post litem contestatam in Judicio sint producta & ab altera parte præfixo termino sint recognita. *Ludovici in der Einleitung zum Civil-Proceß. Cap. 20. §. 9.* Quæ recognitio Documentorum efficit, ut scriptura recognita habeat vim publici instrumenti. *Covarr. Tom. 2. Cap. 22. pract. q. n. 5.*

§. XVI.

(6) Probatio inartificialis fit testimoniis seu Testibus. vid. *Struv. in Syntag. J. C. Exercit. 28. th. 4.* dicitur hæc probatio vocis vivæ *Wesfenbec. in parat. n. 4.* Quæ opponitur probationi vocis mortuæ, & illa, quæ per instrumenta fit, haud parum difficilior, ad quam tamen his deficientibus confugiendum.

§. XVII.

Est itaque testis persona ad alicujus rei fidem faciendam à Judice vocata & examinata, *l. 22. ff. l. 5. C. h. t. Hahn ad Wesfenbec. de Test. n. 1. & 2.* circa quos notanda (1) Numerus, duo enim regulariter sufficiunt tam in criminalibus quam in civilibus, jure tam Divino quam humano. *Lev. 36. Math. 18. l. 1. ff. h. t.*  
Hahn

§ (9)

*Hahn. ad Wesenbec. de test. n. 6. Farinac. de Test. quasi 63. interdum etiam unus, Carpz. proc. tit. 13. art. 3. n. 13. Quæ tamen posterior probatio certis adminiculis stipata sit oportet, Carpz. d. loco n. 233. regulariter tamen semiplenam is faciat probationem. Sichard. n. 14. & Gileken. n. 13. ad l. 3. C. de test.*

§. XVIII.

(2) Testiumabilitas, ut, antequam super articulos testimonium deponant, in presentia partium jurent. vid *Ludovici in Einleitung zum Civil Process. cap. n. §. 30.* injurato enim testi nunquam creditur, siquidem tota testimonii substantia in juramento consistit. l. 8. & 9. C. de test. Quod juramentum tamen ex partium consensu, si res propriam & privatam utilitatem concernit, nec in publicam utilitatem vergit, aliquando remitti potest *Gail. Libr. 1. Observ. 101. n. 13. Mynsing. Cent. 3. observ. 80.* Statuto etiam induci potest ut testis injuratus plenarie probeat cum adminiculo tamen, si persona sit pierate & fama integra. *Gail d. loco. n. 11. & 13.* Unde Principum Ministris conspicuis hoc juramentum Testium aliquando remittitur & tantum sub illo juramento, quo Domino obstricti sunt, deponere iis Licet. *Gail. d. loc. n. 15.*

§. XIX.

Qui autem verè deponere possint, præsumuntur omnes idonei & habiles, nisi quibus expressè de jure sit prohibitum, quales sunt *Furiosi & mente capti. l. 20. §. ne furiosus. l. 4. ff. qui test. fac. poss. L. 40. ff. de R. J. Mutus, Surdus, cæcus, cujus rationem videre est, apud*

B

*Masc.*



*Masc. concl.* 278. n. 8. Pupillus & impuberes ob imbecillitatem animi l. 1. ad. leg. jul. s. ff. de test. cum generaliter eorum vacillaret fides. Ludov. in *Compend. Pandect.* §. 1. h. 2. servus l. servos 8. & auth. si testes C. h. t. l. 20. §. servus quoque 7. ff. de Testam. Infamis l. 3. §. 5. ff. de test. cap. ult. X. eodem.

## §. XX.

Respectu certarum Personarum, inter Cæteros testes prohibiti sunt *Libertus*, contra Patronum ejusque Liberos, L. 3. §. 5. ff. de test. l. 12. C. eodem. Uxor contra Maritum, & vice versa, non pro se, propter summam affectionem, non contra se, propter reverentiam, *Mascard. Conclus.* 1421. n. 1. & seqq. *Farin. quest.* 54. n. 210 quod extendit ad sponsam n. 25. l. 3. C. de Test. & l. testes 24. ff. eodem, obligatio enim, quæ inter Virum & uxorem est, de jure Divino propterea dicendum non est, uxorem posse aut debere accusare Maritum de crimine læsæ Majestatis aut alio quodam, id enim si faceret, prodicionem committeret, *Gigas de crimine Læs. Maj. quest.* 15. Laicus contra Clericum. *Capitulo de cætero X. de testibus*, præterquam de graviori crimine, *Farin. quest.* 61. n. 100. aut si veritas aliter haberi nequeat. *Farin. d. loc. n. 107. Gigas d. l. quest.* 16. Inimicus contra inimicum: l. 3. ff. de test. ibique Dd. communiter statuunt. l. 17. C. eod. & hoc tamen in masculino quam femina notandum. *Farin. quest.* 13. n. 4. item in criminibus exceptis *Menoch. de arbitrio judicis, libr. 1. quest.* 28. n. 2. *Farin. d. l. n. 15.* nec à giudice potest recipi. *ibid. n. 8.* nec a principe constitui n. 9. neque per torturam n. 10.

## §. XXI.

## §. XXI.

Pro certis personis testari nequeunt Domesticus, l. 3. §. 6. 7. C. de test. l. 6. 9. 17. 24. ff. eodem, Tutor, non ob amorem, sed quia pupilli causa tutoris esse videatur. *Farin. quest. 60. n. 285. § 86.* Socius, quoniam de commo sociorum proprio agitur, *Mascard. conclus. 1312. n. 1.* Parentes & liberi l. 6. § l. testis idoneus, 9. ff. l. 5. § 6. C. de test. in certis causis mulier in testamento l. 20. §. 6. ff. qui testam. fac. poss. Minor viginti annis in crimine, l. 20 ff. de Testibus. secus si per alium crimen demonstrari non possit, tunc in subsidium admittitur, aliis concurrentibus circumstantiis.

## §. XXII.

Perlustrato nunc generaliter modo probandi, ad scopum propius accedamus, ubi deprehendimus, quod probatio per testes in perpetuam rei memoriam anomala vocetur. Quippe à regulis generalioribus probationis ordinariæ per testes, maxime recedat. Probatio namque per testes, cum alias, si practice loqui velimus, post litis demum contestationem permittatur, hæ tamen, quæ in perpetuam rei memoriam fit, ante litis contestationem recipiatur, *Ludov. in Einleitung zum Civil-Proceß. cap. 20. §. 1.*

## §. XXIII.

In hac de jure Saxonico notabile illud deprehendimus, quod diversitas quædam oriatur inter testes, quos actor & inter illos, quos reus ad perpetuam rei memoriam examinandos producit, *per. Ordin. process. Saxo. tit. 27. §.* Obwohl sonstken sub verbis: machen

B 2

auch

auch hierbey einen Unterscheid unter dem Kläger und  
Befl. *Carpz. jurispr. for. p. 1. Const. 16. def. 35.*

§. XXIV.

Ex parte Actoris singulare erit, quod ipsi regulariter ante L. C. testium productio & examinatio ad perpetuam rei memoriam non permittatur, *d. Ordin. Process. Saxon. &c.* denn dem Kläger. *Menoch. de presumption. libr. 2. pres. 54. n. 2. Mev. part. 6. dec. 302. n. 2. seqq.* Ratio est, quia Actor semper agendi potestatem habet, suoque tempore testes producere potest *l. 5. §. ult. ff. de doli mali except. l. 42. ff. de reg. jur. Ziegler in not. ad textum Ordin. Process. Saxon. Ludov. in Einleitung zum Civil-Process. cap. 20. §. 4.*

§. XXV.

In certis tamen casibus, certisque excausis quæ sufficientes & rationabiles sunt, actor quoque ad probationem in perpetuam rei memoriam ante L. C. admittitur. *per dict. O. P. S. verb. Es sey dann daß er dessen erhebliche Ursachen habe. cap. quon. 5. X. ut. lit. non contest. &c.* Partim quia non modo æquum sed necessarium quoque sit, hac in parte ob magnum Probationis favorem succurri actori, partim quoque ne pereat veritatis cognoscendæ occasio, quia peccati mortalis speciem redolet, veritatem supprimere aut occultare. *Per l. ult. §. si C. quis de Episc. aud. l. ult. §. Licentia C. de jur. deliber. l. 18. C. de solut. Carpz. in Jurispr. for. part. 1. const. 16. def. 35. n. 3.*

§. XXVI.

Et cum justam causam cum quæ talis sit, exprimere plane nequeat, iudicis id arbitrio dijudicandum atque

atque determinandum relinquitur. vid. *Carpz. Process. tit. 13. artic. 7. n. 36. seqq.* Primariæ tamen erunt per *Ludovic. Einleitung zum Civ. Process. cap. 20. §. 2.* Si testes adversa valetudine laborent vel senio confecti vel pestilenti loco commorentur, veletiam exteri & decessuri sint, aut si conditionatim debitor solutionem promiserit, ut actionem instituere in præsentiarum non valeat. vid. *Brunnem. Proc. Civ. cap. 20. n. 85.*

§. XXVII.

Qua cum sententia convenire videtur dicta *Ord. Proc. Saxon. tit. 27.* ex qua sequentes erui possunt, (1) Senectus & ætas devexa, quæ in testium personisprehenditur, *d. obs. verb. hohen Alters beladen &c. confer. d. cap. quon. s. ubi nisi forte de morte testium timeatur. Carpzov. part. 1. const. 16. D. 35. n. 1. & in Process. tit. 13. art. 7. n. 21.* ubi in æstimatione senis non tam ad annorum numerum, quam ad virium proclivitatem respicitur, in judicio camerale hoc in passu senium anni à tempore 50. anni ad 70. usque computandum, qui annorum numerus & complexio ipsius supplicæ expresse inferi debeat. *Gail. libr. 1. obs. 92. n. 7.* (2) Valetudo infirma & morbi gravitas, imprimis si mortis infecuturæ periculum subit. *d. cap. 5. X ut lit. non constet. Ord. P. S. d. t. verb. als wann die Zeugen mit sorglicher Krankheit beladen, Carpz. in process. tit. 13. art. 7. n. 21* quæ per attestata medicorum scripta satis apte demonstrari poterit. vid. *Martini ad O. P. S. tit. 27. §. 1. n. 18. & Schwend. ad Fibig. p. 2. c. 2. membr. 2. sect. 1. §. 4. Reg. 13. n. 680.* Sequitur hinc illos, qui  
B 3 per



per diuturnum leuem tamen nec periculosum morbum vexantur. (Cujus generis sunt v. g. podagrici in lecto non perpetuo devixi, hypochondriaci, item morbo ambulatorio & certo tempore recurrente, laborantes, ut levi febricula periodica) vel qui tempore instituendi examinis ex morbo reconvaluerunt, penitus excludi, vid. Roland. in tractatu de commissar. p. 2. libr. 1. cap. 8. Umm. ad Proc. disput. 16. th. 7. n. 48. Mulier quoque uterum gestans & cui ad pariendum mox explebuntur menses, propter periculum partus recte examinari in perpetuam rei memoriam poterit, Pacian. de probat. libr. 2. cap. 4. n. 6. Farin. de test. quest. 76. n. 91. 92.

§. XXVIII.

(3.) In contagioso, aliove periculoso loco commoratio testium, dict. cap. quon. 5. X. ut lit. non contest. & ord. Proc. Sax. tit. 27. §. 1. verb. oder da es in schwehren Sterbens Laufften wäre ic. facile enim contingere posset, ut morbo grassante testes deprehensi interire possint, atque sic Actor probatione sua caderet, vid. Berlich. part. 1. concl. 46. n. 13. Ziegler cit. loco, quomodo ex itenditate rationis examen recte petit actor, si regio illa vel bellis turbata vel fame quadam Chronica prematur, Anton. Fabr. in Cod. Libr. 4. tit. 14. D. 1. n. 10. & tit. 15. D. 48. Umm. ad Process. disput. 16. n. 48. Nicol. in Proc. p. 1. cap. 62. no. 4. (4.) Eorundem in alium locum remotum, & ubi examen commode expediri nequit, instans emigratio, dict. tit. in O. P. S. verb. Oder an einen andern entlegenen Orth zu ziehen ic. Berlich. d. l. n. 11. Ziegler, in not. ad Tex-  
tum,



num, quo refertur etiam necessaria peregrinatio. in  
*O. P. S. d. loc. verb.* Oder sonst zu verreisen ferner  
 fürhabens, præcipue si tamdiu sit duratura & testes  
 litis quoque contestatæ tempore absint, nec reditus  
 ipsorum expectari possit. *Menoch. 2. de præ. s. 4. n. 2.*  
*Umm. cit. loc. n. 48.* id quod in exilibus quoque locum  
 habere, imo in aliis hinc inde migrantibus, præjudi-  
 cio affirmat *Carpz. part. 1. c. 16. D. 35. sub fin.*  
 (5.) Actionis item instituendæ obstaculum vel retar-  
 datio indeclinabilis per ea, quæ posita in *O. P. S. d.*  
*l. verb.* Oder auch, wenn er etwa seine Klage anzu-  
 stellen unvermeidlich verhindert würde, per casum.  
 Si creditori debitor debito conditionato, vel cujus  
 dies quidem cedit, sed post longum temporis demum  
 decursum veniet, est obstrictus, ipseque creditor futu-  
 ram inficiationem debiti metuit, & illud deficiente alio  
 instrumento obligationis, magis per testes quos habet  
 probare vult, quam juramenti postea delatione uti,  
 vid. *Berlich. dict. concl. 46. n. 15. § 17. Ludovici alleg. l.*  
*§. 2. in Einleitung zum Civ. Proc. per allegat. ab ipso*  
*Brunn. Proc. Civ. cap. 20. n. 85. Martini in Comm. ad*  
*O. P. S. tit. 27. §. 1. n. 31.* (6.) Denique inevitabilis  
 Probationis protelatio, id quod ita dispositum in sæ-  
 pius alleg. *Ord. P. S. verb.* Und seineu Beweis  
 nothwendig in die Länge verschieben müste, puta si  
 reus varias litis moras studiose interponat, quibus à  
 litis Contestatione liberare se studet. *Ziegl. ad d. l.*

§. XXIX.

Ex his itaque & multis aliis innumeris causis,  
 quæ judicis arbitrio relinquendæ, actor allegatam  
 suam

tuam tenetur probare intentionem, id quod tamen summarie fieri debet, *Berlieb. d. l. n. 27. Carpz. in proc. tit. 13. ad art. 7. n. 30. Ludovici in Proc. Civ. loc. alleg. §. 2. sub finem.* Super quo iudex postmodum cognoscit, & pro causæ circumstantiis vel petitioni locum relinquit, vel examen denegat, nec necesse erit ut iudex desuper interloquatur, cum hæc cognitio summaria vices iuterlocutorix sententiæ agat, *Carpz. proc. tit. 13. art. 7. n. 28. seqq. Schwend. ad Fibig. Process. p. 1. cap. 2. membr. 3. §. 15. n. 266. reg. 2.*

§. XXX.

Notatu porro dignum est, quod Probatio quæ ad perpetuam rei memoriam, existente causa iusta, in Feudalibus & Criminalibus locum habeat, in quibus tamen non nisi casus quidem excepti admittuntur, cum regulariter in Criminalibus testes ad perpetuam rei memoriam ante L. C. acceptari nequeant, cujus rationem *Carpz. part. 1. dec. 41. n. 11.* cum aliis ipsi consentientibus suppeditat. Quod nimirum hic strictissimæ requirantur probationes, ita, ut ob summum vitæ, famæ & salutis alicujus periculum, ubi caute omnino agendum est, ne ad unquam quidem à regulis præscriptis recedamus. vid. *Gail. Libr. 1. obs. 92. n. 15.*

§. XXXI.

Obtinet autem ejusmodi examen (1.) si non respectu accusatoris tamen respectu accusati, seu ipsius Rei, pro deducenda sua defensione & innocentia fiat, præsertim cum multo favorabiliores sint Rei parres quam Actoris, & propter defensionem contra regula-

has

## § ( 17 ) §

las interdum juris multa admittantur, *Carpzov. d. l. n. 17. 16. & 17.* (2.) Respectu iudicis in processu inquisitorio ex officio procedentis, quia ipse informatio, ejusque de crimine nondum manifesto cognitio, pro qua testes hoc casu recipiuntur, regulis juris non est subjecta. *Carpz. d. l. n. 18. & alii ibid. ab illo allegati*, (3) Respectu actoris in crimine civiliter vindicato absque mentione pœnæ, ex ratione, quia hoc ipso in effectu causa ipsa civilis est. *Carpz. d. l. n. 19. v. g. si ex causa adulterii non ad infligendam pœnam mortis, sed ad dissolvendum matrimonium agatur, Schwendend. cit. loc. reg. 5.*

## §. XXXII.

Quæ reum concernunt, notabilia sunt ea, quod eidem indifferenter & quodocunque litem motam iri metuit, probationem in perpetuam rei memoriam suscipere possit, consentiente *O. P. S. tit. 27. §. 1.* Ein Beklagter aber mag ohne Unterschied Gezeugen zum ewigen Gedächtniß führen. Videlicet quia in rei potestate positum non est quando experiri velit, inscius, quando conveniatur ab actore, provide igitur futuram actionem exceptionibus elidere potest, vid. *Schwend. ad proc. Fibig. part. 1. cap. 2. membr. 3. §. 15. n. 266. reg. 3. Ludov. cit. loc.*

## §. XXXIII.

Nec distinguitur inter causas civiles & criminales, namque in his etiam regula procedit quoad reum, de qua supra dixi, modo reo competat exceptio, qua actionem quam metuit futuram, avertere possit. *Ludovici loc. cit. §. 1. ubi allegat. Schwend. apud Martini ad*

C

n. 53.

n. 53. §. 1. O. P. Sax. tit. 27. Gail. libr. 1. obs. 92. n. 10. Ziegl. ad proc. Sax. tit. 2. §. 1. Exceptionibus itaque aliis ad elisionem non spectantibus non auditur. vid. Rosbach. in proc. tit. 59. Agat igitur ut de probatione exceptionum fit sollicitus, ne alias tempore præterlapso easdem deperdat. Cap. 41. & 43. X. de testam. Carpz. p. 1. c. 16. D. 38. n. 6. & 7. idque quod notandum, procedit etiam si nulla subfit causa vel valetudinis vel mortis vel absentia &c. d. O. P. S. verbis: sie seyn alt, jung, frantz oder gesund, Carpz. proc. tit. 13. art. 7. n. 40. Qualis est exceptio e. g. de non numerata pecunia, compensationis, restitutionis, doli ac spolii. Umm. disp. ad proc. 16. n. 46. cum in ejus sit arbitrio alterum eligere vel agere, modo id ante L. C. fiat, & antequam lis ab actore mota vel instituta fuerit, per Ord. P. S. verbis: Jedoch, daß er solches fürnehme ehe und bevor die Klage wider ihn Rechtlich erhoben. Semel autem actione intentata reus non minus, quam actor ipse, causam probabilem ac sufficientem docere debet, propterquam examen indulgendum est, Ord. Proc. Sax. sub verb. Wann aber dieselbe bereits Gerichtlichen eingebracht, wird dem Beklagten so wenig als dem Kläger solch Zeugnis weiter vergönnet, es sey dann, daß er hierzu die bewegende Ursachen habe, aus welchen es, wie vorbemeldt, auch dem Kl. nachgelassen ist. Carpz. cit. l. jurispr. for. n. 7. Imo repellitur quoque reus, & probatio ad perpetuam rei memoriam impeditur, si actor in continenti ad agendum se offerat, & lis de proximo speretur, qua etiam ex causa actoris petitio rejicitur, si reus litem in continenti contestaturum promiserit, nisi summum in mora periculum sit Umm.

*Umm. disp. 16. th. 7. n. 48. Ziegl. in not. ad O. P. S. b. t. Martini ibid. n. 85.*

§. XXXIV.

Testes autem ad perpetuam rei memoriam coram iudice causæ principalis competente recipi & examinari debent. *Carpz. iu proc. tit. 13. art. 7. n. 47. item l. 2. C. ubi & apud quem cognitio in integrum restit. agitata sit*, alioquin examen ipsorum nullum erit, si autem commissario id demandatum sit, & Judex, qui de causa cognoscit, rati habeat vel examinationem iustificet, valebit. *Martini ad O. P. S. n. 58. ibique DD. allegati Lud. Proc. Civ. cap. 20. §. 6. id quod mihi demonstrat & fidem facit commissio quædam à Regimine Hasslo-Castellano delata Judici inferiori incompetenti. Cujus verba allegare non superfluum arbitror, quippe continet modum procedendi. P. P.* Ob der Copenhischen Einlage erhellet mehreres, welchesgestalten bey uns die Einwohnere in der Neustadt zu N. daß die althier durch Bescheid unterm 13. Novem. a. p. auf euch erkante Commission zu abhörung ihrer und darinnen bemeldter Sache in perpetuam rei memoriam angegebene Zeugen an euch ausgefertigt werden möchte, nachgesuchet. Nachdem nun dieses suchen Commissionis auf euch ermeldten unserm Bescheid gemäß ist; Als befehlen wir euch hiermit. Daß ihr die unter hierbeygehende Articulen de nominirte Zeugen demnechst auf einen gewissen dem Gegentheil ad videndum jurare testes, & dandum si velit, interrogatoria zu notificirenden Tage, vor euch fordert, selbige über solche Articulen wie nicht weniger

C 2

inter-



interrogatoria da deren übergeben werden solten, præ-  
via avitatione Eydlich abhöret und alsdenn den Ro-  
tulum examinis testium anhero zur Fürstlichen Re-  
gierung förderlichst Verschloßen einschicket. Cassel.

§. XXXV.

Multa quanquam, quæ magis magisque hanc ma-  
teriam concernunt, adducere possem, brevitatis ta-  
men amore ductus, sub fine adhuc addam, quod  
Testationes ad perpetuam rei memoriam factæ post  
L. demum C. & peracta partis adversæ reprobatione  
publicandæ sint, maneatque perpetuo earum valor, ita,  
ut quodocunque probans velit, modo productio &  
examinatio ritè facta fuerit, valide probare iis possit,  
*Lud. dict. Cap. §. 8.* nec à testium ad perpetuam rei me-  
moriæ receptione & examinatione appellare liceat,  
qua etiam de causa super fama ad perpetuam rei me-  
moriæ testes examinari nequeunt, quia vulgus,  
in quo fama consistit, haud perit, sed successu tempo-  
ris augetur. *l. 76. ff. de judiciis*, quæ lex demonstrat,  
quod propter multiplicationem homi-  
num famæ nullus sit

F I N I S,









ULB Halle


3

001 585 339



56







1722, 23

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

PROBATIONE  
QUATENUS PER EXAMEN  
TESTIUM IN PERPETUAM REI MEMORIAM  
FIERI POTEST,

189.  
48

*QUAM*  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,  
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO  
JO. JOACHIMO HAHN,  
EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiatarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiae respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

AMPLISSIMO ANNUENTE JCTORUM ORDINE  
IN ALMA ET PERANTIQUA HIERANA  
SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS PHILIPPI *Streitz*/  
Jcti,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARII  
REGIMINIS, ET FACULTATIS JURIDICÆ DECANI,

AD SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA,  
MORE MAJORUM, CONSEQUENDOS,

DIE X. JUNII ANNO MDCCXXII.  
LOCO AC TEMPORE CONSVETO,  
ERUDITÆ DISQVISITIONI SUBMITTIT

AUTOR  
PHILIPPUS JACOB, DIEFFENBACH,  
Kehmelia Hassus, & Advocatus Ordin. Dicafterii Rotenbergensis,

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.